

Disquisitio de spiritibus ... / Autor-respondens Georgius Fridericus Wagnerus.

Contributors

Wagner, Georg Friedrich.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kiliae : Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr, [1674?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rhy7398j>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2 78
LXIV.

ORTV

DISQVISITIO
De
SPIRITIBUS

Quam

Q. B. V:

In Almâ Holsatorum

PRÆSIDE

Dn. JOH. DAN:MAJORE, Phil. &
Med. D. Ejusdemq; Prof. Prim. Sereniss.
Episc. Lubec. Med.

In Audit. Majori, d. Aprilis horis matutinis.
habebit

Autor-Respondens

GEORGIUS FRIDERICUS WAGNERUS;
Gedan. Boruff: Med. Cultor.

KILLÆ,

Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo

DN. JOHANNI CASPARO
PFENNINGIO,

Medicinæ Doctori apud Kilonienses Celeberrimo,

Fautori suo Colendisimo.

PAgellas hæc, cui inscriberem, alium neminem deprehendi, nisi *Te, Nobilissime, Amplissime Domine, Fautor Colendisime*, in quo & Regionis, quæ communes mihi Tecum natales dedit, amor postulare illas sibi, & Favor singularis ac Benevolentia, qua immeritum in exteris benignè hætenus fovisti, exigere videbantur. Exiguæ illæ equidem sunt, fateor, & pro Ingenio meo prorsus exiles. Sed confirmat me de Benevolentia *Tua*, singularis *Tua* humanitas, quæ de Voluntate mea non ex opella hac se judicaturam quasi pollicetur. Et sanè Major illa semper erit, quam quæ istiusmodi demonstrari possit. Interim grati animi tesseram æqui boniq; consule, illiq;, qui observantiam devotæ mentis Specimine hoc testari aliquo modo voluit, quod fecisti hætenus, porro etiam fave.

Amplissimi Tui Nominis

Venerantissimus

Georg. Frider. Wagnerus, Gedanens.

Antor & Respond.

DE *Spiritibus* acturi, Te, quisquis eris, Lector harum pagellarum, monitum volumus, ne per *Spiritus* hęc sæpè nominatos, vel Ventos, (DEum enim, Angelos, vel Animam Humanam, hęc non indigitari ex contextu cognosces,) vel Aerem, vel Chymicorum per ignem productos *Spiritus*, vel quidvis in Naturâ aut Arte subtilissimum aliud intelligas, sed solùm hęc Nobis de *Spiritu Animali*, quem cum Brutis & Plantis communem habemus, sermonem esse, firmiter Tibi persuadeas. His perceptis, Te, animumq; tuum, ad audiendum Nos accinge; utpote à quibus Tibi, Q. B. V. D. proponitur

THES. I.

Homo constat Anima & Corpore.

Absoluto in Hexaëmero illo notatu dignissimo, & quod magis mirere, ex nihilo factò (a) *Toto hoc Macrocosmo*; *Hominem* etiam, *Vice-Dominum hujus Universi* (b) DEUS T. O. M., partim per creationem, quoad *Animam*, partim per productionem, quoad *Corpus*, fabricatus est. Quanto igitur excellentior *Creatio* (quæ fit ex nihilo) *Productione*, (quæ fit ex aliquo) tantò nobilior etiam *Anima* est *Corpore*. Et licet hæc duæ *Substantiæ* aded connexæ sint; unam tamen ab alterâ, salvâ remanente superstite, abesse posse, & *Naturæ*, & *Actiones* earum ostendunt.

Th. II.

Anima, quæ numero & specie in Homine Unica est, nullam habet Potentiam, quam Cogitantem.

Qui itaque *Animam*, (quæ est *Substantia*, cujus tota occupatio consistit in eo, ut cogitet; quæque ut existat, nec ullo loco præcisè indiget, nec ab ullâ re corporea dependet (c)) in partes dividunt, (d) sive *Potentias* illi à cogitatione distinctas affingunt, nostrum consensum vix impetrabunt. Sedes Ejus varia dicitur. Philosophus per Ignem (e) *Animam Sensitivam*, nostro conceptui de *Spi-*

a 2

ritibus

(a) *Genes. c. 2. v. 4. 5.* (b) *Genes. c. 1. v. 26.* (c) *Des-Cart. Diss. de Meth. p. 29.* (d) *Job. Dan. Horst. in Comp. Phys. Hypp. Diss. 6. Th. 1. & alii.* (e) *in Prologo de Tumulo Pestis.*

ritibus similem, (quam ille & brutis tribuit, hominiquè post lapsum datam credit, cui & rationem adscribit) unà cum Mente Immortali, in sinistrum Orificium Ventriculi collocat; (f) cujus Paradoxirationes ibidem videas. Pars Peripatismi illi Cor assignat; Pars illam per totum Corpus dispersam facit. Des-Cartes Glandulam cerebri Pinealem pro loco residentiae agnoscit: (g) Nos illam in eà parte Cerebri, in qua maximi dantur Spirituum, certis, juxta Willisium (h) undulationibus actorum, concursus, præcipuè vigere, & ad actiones corporeas sese demittere, existimamus.

Th. III.

Corpus, quod nos in Partes Nobiles & minus - Nobiles dividimus, reliquas omnes actiones ope Spirituum peragit.

Juxta Trichotomiam Hippocraticam (i) cæteroquin Corpus, in Partes solidas, fluidas, & impetum facientes dividitur; sed hæc distributio, non in officio, sed ipsâ Naturâ Partium fundata, hujus loci non est. Dichotomia itaque Nostra, ab usu Partium petita, pro scopo præsentis magis nobis arridet: quod Actiones Corporeæ, cujuscunque etiam indolis, nobilissimæ, nobiles, ignobiliores, simpliciter ope Spirituum peragantur. Quod verò Operationum harum Potentiæ, communiter Animæ à Multis adscriptæ sint, inde accidit: quod illi Animam, per se notissimam (k), nunquam, aut rarò, corporeo solutam vinculo, examinaverint.

Th. IV.

Describitur Spiritus, quod sit Fluor maximè nobilis, summè subtilis, celerrimeq; instar lucis mobilis; exsequendis Actionibus Corporeis, illisq; judicio Animæ representandis, inserviens.

Fluorem dicimus, ad medium inter humidum & ficcum; Nobilem, ad actiones ejus; Subtilem, ad naturam ejus; Instar Lucis Mobilem, ad convenientiam ejus cum Luce (l) respicientes. Alterum membrum ex sequentibus se explicabit.

Th. V.

(f) L. de Sed. An. sect. 6. & seq. (g) L. I. de Pas. An. art. 31. (h) passim in Tract. de Nervis & Cerebro. (i) quam citat Galen. L. I. de Different. Febr. (k) Des-Cart. L. I. Princ. Phil. art. 12. (l) Des-Cart. L. de Meteor. art. 4.

Th. V.

Rectissime Animalis dicitur.

Ratio est; quia (1) competit omnibus Animalibus; (2) quia illis ita competit, ut structura partium in iis etiam omnium pulcherrima & exactissima nequicquam tamen ageret, nisi Spiritibus, tanquam Aura & Vento animaretur, vel tanquam Luce irradiaretur; & ad A&iones, quas Animales communiter dicimus, obeundas efficax redderetur.

Th. VI.

Materia, ex qua generatur, & qua conservatur, eadem est, nempe Sanguis.

Sanguis in diastole Cor ingressus (quod stathmicè magis quam geometricè in medio Thoracis situm est) ibique per fermentum peculiare rarefactus; in systole iterum exit; (m) ubi magna & subtilissima portio, per Arterias Carotidas in Cerebrum tendit, ibique celerrimè movetur, nec motum facilè perdit. Crassa vero Pars per Corpus circulatur. Nutrimentum etiam ejus Sanguis est, quoties enim circulatur, toties Novi Spiritus priorum fomites, ut vulgari vocabulo utamur, generantur.

Th. VII.

Causarum Efficientium loco præcipuè stat, rarefactio sanguinis & inde acquisitus motus.

Veritas hujus ex antecedenti Thesi patet. Per rarefactionem tamen maximè omnium intelligimus eam, quæ ab igne clandestino provenit; dumque motum ex igne in præsens deducimus, vim fermentalem aliarum particularum propterea non excludimus.

Th. VIII.

Spiritu salvo, Vita salva est, illo pereunte, Vita etiam perit.

Intellige cum Mors sit actionum finis, Corporeas per se deficere; Incorporeas per accidens; deficientibus nimirum Spiritibus; & Animâ hospite ergastulum tuum deferente. (n)

Th. IX.

Estq; Vinculum Anima cum Corpore.

A3

Quo-

(m) Des-Cart. Diff. de Method. art. 5. (n) Confer Wirdig. in L. de Medic. Spir. Part. 1. Proæm. S. 7.

Quomodo *Anima*, quæ hucusque habetur pro merè incorporeâ, in materiam aliquam agere possit, citra contactum omnem corporalem, res est propemodum inexplicabilis. Unde Spiritus tantisper pro *Vinculo intermedio* ex vulgari sententiâ agnoscimus; cum tamen ipsimet etiam corporei sint inter Labyrinthos ejusdem difficultatis identidem hæremus. Helmontius *Vinculum* istud *Blas* dicit. (o)

Th. X.

Materiam verò esse Carnis negamus.

Spinofus in multis, quin & ingeniosissimus Hobbes contrarium defendit, sed sententia ejus absurda hæc secum trahit: I. est, quod fieret actio illa per *condensationem Spirituum*, illis tamen in statu sanitatis non competentem. II. Est, quod *Spiritus ex viscidâ parte Sanguinis* generarentur. Triplices enim ejus portiones in extravasatione videntur: *crasse*, (*viscida*) ex quibus fibrosa textura carnis fit; (*p*) *Mediæ*, quæ latice partibus impingendo turgent; & *tenuis*, cum vapore visibili in frigido aere exhalante, quæ materiam Spiritibus præbent.

Th. XI.

Nec in Lympham congelascere satis probabile est.

Docuit equidem Vir quidam Clarissimus Conterraneus noster honorandus, Lympham (Helmontio Laticem neglectum dictam (*q*) nihil aliud esse, quàm Rorem Spirituum ex nervis eductorum, perq; Tubulos Hydragogos ad Cor reductorum; & sic Spiritus istos, in specie Animales dictos, ad Lympham illam, ut partem materiæ se habere; imò ipsimet non negamus, præter summè subtilem *auram balsamicam*, de quâ tota hæc Dissertatio tractat, etiam halitum aliquem aqueum ex Arteriis in Cerebrum, & Spinalem Medullam, cum Spiritibus sanguineis translatum per Systema nervosi generis propagari, & extra nervos dein elapsum in *Congelamen* aliquod *rosidum* abire posse; Sed pace Nob. Authoris, an (1) perpetuum id sit; (2) ex lege Naturæ rectè agentis fiat; (3) extremitatum Nervorum cum Lymphaticis habeatur insignis communio; & (4) Oeconomia glandularum intimius spectata non potioris curæ habenda sit; illa sunt, quæ liberam tantisper nobis certum aliquid statuenti materiam præscindunt.

Th. XII.

(o) In *Tract. de Blas.* (*p*) *Modum vid.* apud Des-Cart. *L. de Hom. art. 8.*

(q) In *Tract. sic dicto.*

Th. XII.

Phantasiæ, cui communiter Sensus Communem adiungunt, inservit.

Assimilatur Sensus Communis, (cujus tamen existentia ob prægnantes rationes in dubium vocatur) centro circuli (r) quinque radiorum sensus externos indigentium; quorum objecta ab illo recepta Animæ repræsentantur; quod, si ita est, Spiritibus tamen merè debetur. (s) Phantasiæ usum dicunt (t) (1) ideas resumere; quod etiam Spiritibus debetur; & (2) de illis iudicium ferre; (u) quod itidem nobis duriusculum creditur est. Sunt enim Spiritus Corpora; iudicatio verò res Mentis, quæ incorporea; (x) ergò non invicem quadrabunt.

Th. XIII.

Inservit Memoriae & Reminiscentiæ.

Ex multis staminibus & poris constat Cerebrum, (y) in quos Spiritus impingens, & rei perceptæ ideam secum deferens, eandem diverticulis illis cerebralibus imprimit, ut Phantasma oriatur: cuius duratio qualiscunque (evanescentiæ omnimodæ opposita) est id, quod Memoriam vocamus. Ad cuius sedes, quoties occasione aliqua, Anima iterum ope Spirituum se convertit, (Organædi in morem, ad idem fistulæ plectrum iteratò acti) tunc Reminisci, h. e. Memorias primas renovare dicimur: Et prout pori benè vel malè figurati sunt, ita etiam cum, vel sine errore, rei cuiuspiam recordamur.

Th. XIV.

Inservit Vigiliis & Somno.

Pars Spirituum, poris cerebri sese insinuans totum illud expandit, & vividas in vigiliis reddit actiones. Profugi verò apud quosdam, vel in nimiâ Laticis copiâ in quibusdam diluti, minus alacriter Cerebri compagem diducunt; unde Somnus, & indistincti idearum ordines oriuntur: simulque etiam patet, quid de plerisque somniis tenendum.

Th. XV.

Inservit Visui.

Sensatio omnis fit per motum, vel immediatum ab Objecto Organis

(r) Senn. Phys. L. 7. c. 7. (s) vid. Tb, seq. (t) Senn, l. c. (u) Id, l. c.
(x) Vid. Tb. 2. (y) Des-Cart. L. de Hom, art, 28.

ganis impressum, ut Gustus & Tactus; vel mediatum, mediante vel Aere, ut Olfactus & Auditus; vel Lumine, ut Visus; consistens in motu Spirituum à luminosis radiis impresso, & rerum visibilium ideas non tam determinans in Oculo, quàm colligens tantùm, & Animæ in penetralibus Cerebri perfectè judicandas præbens. Objectum ejus est, omne, quod *Radiat*; Radians verò vel Luce Propriâ vel Alienâ; Propriâ, Lucidum κατ' ἐξοχήν; Alienâ, Illuminatum; Illuminatum, Ubertim vel Remissius: Ubertim, Splendens; Remissius, Coloratim; Omnium remississimè Opacum; gradualiter differens à priori, juxta diversam Luminum ab Objecto resultantium modificationem (z) Ubi verò Tenebræ, ibi vel nulli radii Objecti superficiem feriunt, vel quantulacunque eorum cohors' aliorum avertitur; quod Hobbesius (a) (nisi fallor & Willisius aliquibi) per vocem Absorptionis exprimit, sed minùs commodè.

Th. XVI.

Inservit Auditui.

Est Auditus motus nervorum acusticorum & Spirituum, ab Aere ad Aures moto oriundus. Aer enim motus, per membranam tympani, ossicula, cum illis nervos, per illos Spiritus movet; qui moti, faciunt, ut Anima sonum inconditum, si una alissio fiat; (b) vel distinctum, si pluries repetatur, percipiat. Quantum Externa Auris Auditui conferat, docent in defectu ejus Conchæ, Infundibula, & Machinæ per Artem substitutæ.

Th. XVII.

Inservit Odoratiui.

Est Odoratus motus Spirituum per Nervos odoratorios, ab Aere halitibus odoriferis repleto, excitatus. Somnia Priscorum de illo sensu omittimus & illum sic fieri posse putamus. Quando Effluvia ex Corporibus Egredientia, aeri speciales quosdam motus imprimunt, qui ad *nares nostras* translati, expansos in earum membranâ Tubulos odoratorios variè agitant, ita ut acutæ particularum cuspides, minùs directè eò impingentes, sic illos vellicent, ut Anima id sub Specie Odoris percipiat.

Th. XVIII.

(z) *Rob. Boyl. in Tent. de Nitro Sect. 15.* (a) *de Elem. Phil. Sect. 1. part. 4. c. 26. art. 16.* (b) *Vid. Des Cart. L. de Hom. art. 16.*

Th. XVIII.

Inservit Gustui.

Est Gustus motus Spirituum per nervos gustatorios *linguæ*, facta immediatè objecti applicatione ad *illam* excitatus. Tres Saporum Species videntur primariae: Duleis, Acidus, Acris, Amarus. In Dulcedine medullares linguæ eminentias, particulae gustabiles leviter allambunt; Acidam jam obliquioribus motibus ad profundiora aguntur, & tanquam gladiolo compungunt, diutiusque parti immorantur; Acris simile quid præstant, sed velut in transitu; In Amatore particulae non tam rectis aut obliquis, quam rotatis motibus incedunt, ut molestia organo tantò major procreetur: Austerritas verò ex Acido & Acri videtur compositum quid. Insipida ex eo dicuntur quod particulae eorum rectis motibus, sine obhæsu, aut offendiculo poros neryeos subeant, nec, tanquam in reti piscatorio figantur.

Th. XIX.

Inservit Tactui.

Est Tactus (non Generalis Rhegio sensus simplex (c) dictus, sed Specialis) motus Spirituum per nervos sensorios, texturis membranæ inspersos, occasione objecti immediatè Organum tangentis productus. Adæquatum ejus subjectum nos asserimus nervos; non Thecas, (d) sed Filamenta, (aut Tubulos) per totam membranæ superficiem sparsa.

Th. XX.

Inservit Fami & Siti.

Fermentum Ventriculi, undecunque etiam oriatur, (e) otiosum, nervos Ventriculi vellit, & sic generalem Famis ideam efficit; si simul etiam exhalationes in fauces, nervos ibidem suo modo vellitantes, elevet, appetitum etiam generalem, qualiscunque Potus, quem Sitim vocamus, procurat.

Th. XXI.

Inservit Motui Musculorum.

Quatuor in motu isthoc præsupponimus; (1) In quovis musculo

(c) *vid. Philos. Natur. ejus.* (d) *Des-Cartes L. de Hom, art. 10.* (e) *Des-Cartes L. de Hom, art. 10.*

sculo jam Spiritum contineri. (2) Ex unâ Thecâ nervorum varia filamenta in ambos musculos propagari. (3) Valvulas in quolibet Musculi nervo verisimiliter esse, pro transitu Spirituum, & ad vitandam eorum regurgitationem. (4) Ubi motus partium voluntarius fit, ibi duos contrarios dari musculos, qui Anatomicis Antagonistæ dicuntur. Hæc intelligenti, motûs conditio intellectu facilis erit.

Th. XXII.

Inservit Respirationi.

Idem hîc quod in priori observandum: addimus tantum Respirationem per pulsationem aëris de pectore simul fieri.

Th. XXIII.

Inservit Generationi.

In omni actu Venereo foecundo, Spirituum utriusque Sexûs magna pars, ex toto Corpore conveniens, versus Uterum vergit. quorsum etiam Characterem illarum partium, ex quibus veniunt, secum deferunt, foetumque similiter disponunt. (f) Hoc verum esse, blanda illa Convulsio totius Corporis tempore congressus, præter documenta alia ab Ingeniosissimo D. Marco Marci primùm adducta, non leviter testatur. Cujusmodi Spiritus ad Seminalia Uteri diverticula, per illum orgasmum Venereum translatus, mox incipit Architectus ornatioris domicilii sui fieri, & Hylen genitalem magis magisque elaborare. Quod Formationem & Efformationem Partium dicimus.

Th. XXIV.

Figuram particulis ejus indifferentem adscribimus, nunc Rotundam, nunc etiam Oblongam.

Quia enim sunt Corpora (1) subtilissima; (2) in minimis etiam fluida; & (3) fluida ideo ut poris corporum cujuscunque figuræ, in penetrando eos, se accommodent; perspicuum est certam Figuram in minimis Eorum non requiri. Fiuntque aut sunt Orbiculares, quando sine magno impedimento natant in Æthere, Aere, Aqua, Sanguine, Lymphâ, Latice Cerebrali, & Nerveo; & in Cuspides Acutos elongantur, quoties arctissimos corporum solidiorum poros ingrediuntur, & à Quietè, à quâ per Naturam abhorrent, aliquantò laboriosius sibi cavent.

Th.

(f) Becher. in Phys. Subter. L. I. Sect. 4. art. 9. & seq.

Th. XXV.

Numero in Homine Unicus est.

Et Antiquorum Ternarium, & Hodiernorum Quaternarium Spiritum, utpote non necessarium, negligimus: Unumque tantum ad omnes actiones obeundas sufficientem agnoscimus. Quia, quem admodum Ventus unus in Organo Musico sufficit, pro animandis diversi generis fistulis; ita diversæ quidem in nobis eduntur à Spiritibus actiones, ob diversitatem quæ habetur in Organis; Propterea tamen Spirituum genera multiplicare minimè necessarium est.

Th. XXVI.

Isque non est dicendus præcise Naturalis.

Naturalem Spiritum Veteres dicebant, qui (1) in Epate fieret; (2) Ex Chylo; (3) in Sanguinem ad Cor ferretur; (4) Cum Sanguine dein distribueretur ex Corde per Corpus reliquum, pro Spirituum in partibus restauratione, & nutritione privatâ, quàm Naturæ nostræ conservatio requirit; & (5) pro sanguinis ipsius commodiore distributione inservit. Sed (1) Sanguificus Epatis usus jam planè repulsus est; (2) nec Chylus directè per Lacteas ad Epar fertur; (3) aut inde ad Cor (4. 5.) Vitalis Spiritus iisdem dictus, cum Sero distributioni Sanguinis pro partium nutritione afflatim inservit.

Th. XXVII.

Nec Vitalis.

Ultimatò videlicet; quasi juxta eum consistentiæ modum, quem habet, dum adhuc est in Sanguine, Actiones Vitales, quales dicuntur: Respiratio, Affectus, & Pulsus, compleat; aut Vitam partium etiam proximè conservet. Quin Conjectura Recentiorum haud vana est, & Respirationem & Affectus, plus fieri per Spiritus Nerveos, quam Sanguineos. Et Pulsus fit quidem tantum in sanguine; ipso tamen deficiente, Vitam nihilominus sat diu perdurare; Exempla Apoplexiæ, Histericæ, Catalepseos, Lypothimias gravioris & Ecstaseos, testantur.

Th. XXVIII.

Quorsum vulgò etiam Pathemata Animi referunt.

De his jam aliquid est dictum. Definiuntur Affectus (g) quod sint

B 2

sint

(g) Des-Cart. l. 1, de Pass. An. art. 27.

sint Perceptiones, Sensus, aut Commotiones Animæ, quæ ad eam speciatim referantur; & quæ producantur, conserventur & corroborentur, per motum aliquem Spirituum: cujus asserti explicationem ibidem videas; (b) Sermone instituto de Sex Primariis præsertim Animæ Passionibus his: Admiratione, Amore, Odio, Lætitia, Tristitia, & Cupiditate. (i) Sed Sedem tam horum, quam reliquorum Affectuum, Cerebrum potius esse, quam Sanguinem, aut Cor, documenta haud pauca; & modi Curationum liquidò sat evincunt. Ne tamen ulli graves simus, Distinctionem admittamus, dicendo: Affectus quosdam inchoari in Corde, perfici in Cerebro; alios etiam inchoari in Cerebro, continuari in Corde, inq; eodem, quod diximus, Cerebro Perfectionem obtinere.

Th. XXIX.

Nec Genitalis.

Ratio est, quod in Opere Generationis Spiritus Animales ex omnibus partibus in Officinam Seminis influant; ut in Th. 23. docuimus. Superest ergo solus Animalis, qui omnes actiones peragit; nec in Cerebro, ut vult Sennertus, (k) sed in Corde generatur.

Th. XXX.

Locus Communis est Corpus Totum; Proprius Sanguis; Propriissimus, Cerebrum & Nervi.

Spiritus è Sanguine per Arterias in Cerebrum translatis, non otiose ibidem resident, sed partim turgidum illud reddunt; partim canales nerveos Corporis transeunt; quod vero tum non statim membra istiusmodi moveantur, illius rei causam, in Objectorum Externorum Actionis absentiam rejicimus: Involuntarius tamen motus interdum producitur, si magna copia illorum in unum Membrum cum impetu casu fortuito feratur; Circulationes etiam triplices, aut Undulationes reciproca Spirituum, hinc consideranda: (1) est in Cerebro; (2) in nervis Corporis (3) in Musculis. Concursus verò Generalis omnium Spirituum est in Cerebro, circa Sedem potentioris Animæ.

Th. XXXI.

Causa fit Plurimorum, & præsertim Occultæ Qualitatis Morborum.

Omni-

(b) art. 28, 29. (i) Lib. cit. part. 2, art. 69. (k) In Epist. L. 1. c. 6.

Omniū Morborū Causā Aciditatem statuit **Wirdigitis**.
(1) Nos quò minùs à Stadio Veterum recedamus, retineri posse pu-
tamus vulgata Vocabula; **Motùs Aucti, Diminuti, Depravati & A-**
boliti. Intenditur **Motus Spirituum** (in **Febribus**): **Imminuitur**
(in **Lypothimiâ**) &c. **Depravatur**, vel **Trepidatione** quâdam, (in **Tre-**
more) vel **Vibratione**, (in **Convulsione**) vel **Gyratione** (in **Vertigi-**
ne) **Aboletur** in **Ecstasi & Morte ipsâ.** Jam quamnam speciem quis
forſan per **Aciditatem** explicet, id nobis perinde. Interim **Occulti**
Morbi videntur non commodius, quàm ad **depravatos motus Spi-**
rituum referendi.

Th. XXXII.

Causa fit Efficiens Melancholia.

Noſtram multis aliis adjungemus Opinionibus. **Postulam**
tamen antea nobis concedi; (1) **Spiritus** apud **Melancholicos** valdè
turbidos eſſe; (2) per vices malum illud exacerbari; (3) poſſe, imò
ſolere, **Auram** aliquam **Auſteram** **Spiritibus** ſe immiſcere; qualis
eſt, quæ **Paſſionem Hyſtericam**, (melius **Diaphragmaticam** di-
ctam) & **Viris** etiam familiarem, ſaltem alio nomine vocandam, ex-
citât. Jam progredimur. Cum **Aura** talis **Cerebro** communicatur,
Spiritus ad aliquam motus inordinationem jam actos, magis turbat,
ut diſcurrendo per poros illius, multis, inſolentioribusq; ideis **Ani-**
mæ faceſſant.

Th. XXXIII.

Causa fit Tremoris.

Dupliciter oriri ſolet **Tremor**; (1) cum pauci **Spiritus** ex **Cere-**
bro in **Nervos** influunt, interruptâ quâdam motus **Lege**; qualem
percipimus in **Aquâ** per **Epistomium Apertum** emiſſâ, per quod nec
merè guttatim, nec **Flumine** etiam rivali, ſed mediocriter potius &
cum ceſpitatione quâdam proſilit; (2) cum copioſi nimis **Spiritus** ex
Cerebro in **Nervos** transmittuntur; dum enim plus affluit, quàm
transfluat iterum per **Orificia Nervorum**, veriſimile eſt in iſtis tubu-
lis nerveis tantisper fieri fluctuationes quasdam inordinatas, & re-
procationes hincindè, ut totus iſte ramus nerveus ceſpitet, & mi-
nùs æqualiter membrum trahat.

Th. XXXIV.

Causa fit Languoris.

B 3,

Quod

Quod nempe Scorbuticis, Phtificis, Hydropicis, Febrive incipientibus, ac Aliis, familiaris est Languor, id itidem a Spirituum Motu vitiatio est. Quatenus is non tam depravatur, ut in Tremore; nec augetur, ut in Irâ, Orgasmo Veneris, Paroxismis Febrilibus; aut aboletur, ut in Hæmorrhagiis magnis, Diarrhæa enormi &c.; quàm vel imminuitur communiter, vel in seroso Latice nimis diluitur, & velut obtunditur.

Th. XXXV.

Ratione Graduum Perfectionis sunt vel Lactei.

De Differentiâ superius diximus; jam ad gradus Perfectionis. In imo aut primo gradu sunt Lactei, vel Chylosi; h. e. quatenus in Chylo ex Alimentis recens confecto innatant. (Ad mentem Scholarum Spiritus Influens vocandi essent) Lac enim & Chylum pro ejusdem generis Liquore habere, quid prohibet? Loco saltem discrepant.

Th. XXXVI.

Vel sunt Sanguinei.

Hoc est; ad secundum gradum Perfectionis, ex parte Sanguinis subtilissimâ in Corde per Fermentum peculiare, jam evecti. Quod sive ex Cartesio Ignem sine Lumine (m) dicere quis velit; sive Principium aliquod Salinum fermentale; cum eo non altercabitur.

Th. XXXVII.

Vel sunt Cerebrales.

Estque hic tertius gradus Perfectionis, denominatus à Loco, ubi, ex Corde egressi, & adhuc quadantenus impuri, ulterius depurantur.

Th. XXXVIII.

Vel sunt Medullares.

A Laboratorio nempe Ulteriore & Puriore extremæ plusquam perfectioni proximo sic dicti. Intellego Medullam Cerebri Oblongatam & Spinalem; Quam Nob. Disp. Præses aliquando dixit parum aliud esse quam Cerebrum Elongatum; sicut Cerebrum Medullam conglobatam.

Th. XXXIX.

Vel denique Nervini.

Ad

(m) *Diss. de Meth. art. 5.*

Ad horum ergastula translati, demum ad summum Alcohol redacti sunt; ultra quem gradum agilitatis si transcendant; non Fluores amplius erunt, sed corpore fluxa & evanida, cum Actio- num Corporearum detrimento.

Th. XL.

Extra Hominem Brutis est loco Animæ.

Peculiarem enim & Corporeitatis expertem Animam Brutis assignare velle, ut vulgo fit, quæ moriente Animali pereat, & annihilatur; superstiti verò eodem, in tot partes divisibilis sit, quod partibus Materia Bruti constat: nisi fallor, id magnum Postulatum, & tantum non durissimum in Philosophiâ Articulus Fidei est. (1) Etenim ante Consumptionem totius Mundi Substantia nulla annihilatur; (2) Difficile perceptum est quomodo Incorporeum quid in partes dividatur, quæ Affectio cæteroquin Materiæ propria est; (3) si verò Animæ brutorum Corporeæ sunt, cur Spiritum, (h. e. Fluorem summe subtilem & inpalabilem) non nominemus? (4) accedit maximè omnium, quod Operationes cujuscunque etiam generis quas bruta edunt, convenientissimè ad Auram istiusmodi imperceptibilem, earum Authorem, prorsus sicut in Homine, reducuntur: ederetque utique in brutis actiones cum nostris planè similes, si Organorum Corporalium structura, in omnibus minutiarum minutiis ultro citroque nostræ responderet. Ultra quam Theoriam verò evagari piaculum sit, & cum Helmontio (n) brutis ipsum denique Rationis usum tribuere; quale quid de Novatore non mirum, qui non dubitavit disertè scribere; se proposuisse sibi à rectæ Rationis tramite quàm longissimè recedere. (o) Egregiam verò Laudem! Interim si quis alicubi forte, quæ de Brutorum Animâ diximus, ad Forum Physicum potius pertinere, quàm Medicum judicet; norit, in tantum hæc nos scripsisse, in quantum inculcanda videbatur, Spirituum subtilissimorum cum Extraneis Homogeneitas. Quâ negatâ, aut otiose neglectâ, sponte corrueret, aut negligenda haberetur Univerſa Scholarum Doctrina, de Spiritu Inſito & Inſtante, de Alimentis & meliore eorum parte, quæ per Viam Nutritionis in usus nostros, ad Sanitatem servandam faciunt. (p)

Th.

(n) *L. de Venat. Scient. art. 34.* (o) *Lib. cit.* (p) *Vid. etiam Florea Schyl. in Prefat. ad Lib. Cartes. de Hom. p. 16.*

Th. XLI.

Et in Plantis Animæ ipsarum Vegetanti substitui potest.

Ratio eadem est. Unde non est ut Verbofosiores simus, nisi addendo breviter duæ hæc: (1) ἐνέργεια Spiritus alicujus Vegetabilis non tantum in Alimentis sed Medicamentis insuper generosissimis, & totâ Vegetationis Oeconomîâ, (2) insigniter elucescere; (2) Spiritum eundem Latici Plantarum nutritio, in Plantis innatantem, cum eodem ex Doctrinâ Nob. Dn. Præsidis plus quam XL. Documentis probandâ, similiter ut Sanguis in Animalibus circulari.

Th. XLII.

In Mundi Partibus reliquis est præcipuus Synantipathias Fomes.

Corn. Drebbelius (r) non insulsè (voco nimirum Chymicis receptâ) Q. E. Mundi; & Alex. à Suchten (s) similiter Spiritum Mundi vocant. Helmontius (t) Archeum (rectiùs Architectum) Fabrum nominat; Eumque tam Microcosmo, quàm Macrocosmo tribuit; h. e. Quod cum variis rebus in Naturâ, peculiaris nobis Dissensus aut Consensus est, id peculiari Spirituum per universum à DEO dispersorum, diathesi debetur. Nec aliud quid vel Magnus quondam Gentilium Philosophus innuisse videtur per Auream Catenam, quâ cœlitus demissâ, Globus Terreus penderet: vel Author Smaragdinae Tabulæ, Hermeti attributæ, quâ exstat, Quod est Superius, est sicut Inferius &c.

(q) Vid. Eund. loc. cit. p. 6. (r) L. d. Q. E. c. 1. (s) L. de Vera Medicina.
(t) L. de Archeo Fabro.

*Soli DEO Spiritui Spirituum sit
Laus & Gloria.*

Sequuntur
Gratulationes
AD RESPONDENTEM,
Disputationis Autorem,
directæ.

Per-eximio, & Præstantissimo
DN. GEORGIO FRIDERICO WAGNERO,
Medicinæ Cultori perquam - industrio,
Amico dilecto,

S. P. D.

JOH: DANIEL MAJOR D. & P. P.

PEtis à Menon Carmen aliquod Gratulatorium, de Disputatione Tuâ pereruditè conscriptâ, sed Epistolam. At, præterquam quod ipsa se satis & cognoscendam, & amandam æquis Rerum estimatoribus Disputatio Tua fert; quid opus Epistolâ, ubi coram Nobis & loqui datur, & colloqui? Sunt Literæ ad Familiares nil aliud, quàm Scripti Interpretes Mentis eorum, à quorum affatibus per Loci distantiam abstinemur. Si tamen id forsân præcipuè desideras, ut mea tenuitati non minùs, quàm aliis, Institutum Tuum probari, qui vis intelligat, maximèq; in Patriâ Tuâ, Prussiâ, felici felicium Ingeniorum Aviâ & Matre, ex cujus sinu, tanquam Viridario fertili, integri Horti & Nemora Virorum, undiquaq; celebrium, effloruerunt, qualem Te etiam, Bono cum DEO, fore, minimè vanus ominor: ecce publicè ac lubens testor scriptione hac, esse, ut in initio innui, Theses Tuas de Spiritibus, pereruditè scriptas, & pleraq; in iis mihi comprobari. Neque enim, si ita non esset, Præsidium earum, more Academico, suscepissem. Aut esto, potuisse


tuisse ibi paulò accuratius, vel limatè magis, poni Verba una
ac altera: Res Fidei non tractamus. Et quicquid in Seculari
Doctrinà mihi videtur, non manifestò falsum, sine Censurà as-
periore transmittere soleo, ut minimè Opponentibus serra con-
tentionis aliqua relinquatur. Tu contra quàm masculè, & mo-
destè Theses Tuas in conflictu Disputatorio defensurus sis, cra-
stina Lux docebit. Ex quibus antea, ut verum hoc etiam non
diffitear, non tam falsa quædam expunxi, quàm cogitata ni-
mis subtiliter. Scorsim, Cartesio non debes nimis adberere: a-
lioquin per eundem Scriptorem, cujus Studium summum erat,
eradicare ex Animis Hominum Præjudicia, cum damno Tuo
Tuismet Studiis, pulchrè sensim maturescantibus, insigniter præ-
judicabis. Effecit Vir iste Illustris in correctione scientiarum
plurimum: sed omne non perfecit. Et experieris tantisper, in
Seculo hoc, quo vivimus, non tutum semper esse, Verisimilia di-
cere, cum vel Veritas ipsa in multis casibus sit exosa. Interim
de laude dignis tuis conatibus non parum sibi gratulatur, Teq;
amat, Facultas nostra Medica, à cuius ore fideliter hucusque,
constanter, ac seriò pependisti, non minus reliquorum Artis
Filiorum exemplo, quàm proprià Natura bonitate ductus.
Perge ita, ut facis: certò mihi Tibiq; persuadeo, quemadma-
dum jam nunc in Vado didicisti natare sine Cortice, ita to-
tam Oceani Medici vastitatem felici Navigio olim, non sine
glorià, es emensurus. B. V. Scrib. Kilicæ, d. 13. April. 1674.

Cedite, queis Animæ venit Reverentia Ternæ!
 Nam Comes aut Præses Corporis una sedet.
Non illa externo quicquam sese exserit actu,
 Omne sed officium, quod facit, intus agit.
 Cogitat, & motus ad lancem examinat omnes,
 Et, quos non sensit displicuisse, cupit.
 Quod video, quod curro etiam, manibusq; prehendo,
 Spiritus interna sic famulatur ope.
 Cùm fugit officium, turbas movet ille recessu,
 Atq; secuturam monstrat adesse necem.
 Ultima naturæ cùm tandem Vincla resolvit,
 Et vis, & robur Corporis omne jacet.
 Atq; Anima à fido prorsus relicta ministro,
 Quas tenuit, sedes, linquit & ipsa suas.
 Plura moves, Wagnere, tuis doctissime chartis,
 Ingenium possit queis patuisse tuum.
 Auguror, & mentem haud Phœbus frustrabitur illam;
 Fœnorat æternos Spiritus iste Dies.

*Præstantissimo Domino GEORGIO FRIDERICO
 WAGNERO, Civi suo per dilecto*

L. M. Q. P.

PAULUS GOLDACH.
 Gedanens.



Edite, queis Añnis veñit Revelata Fernat
Nati Comes au P...
Non illa curit...
Omne...
Cognat...
Et, que...
Quod...
Cura...
Añ...
Nihil...
Hic...
Qua...
Plura...
Añ...
I...

Professur...
L. M. S. P.
PALLIS GOLDACH
Gedacht

